
In

HUNDRAD SILFURS

cum *Kriſtni-Saga* Hafn. 1773 editum,

per


G. P. (Gunnar Pálsson).



Illuſtrant Veterum plurima nummuli,
Naturam, hiſtorias, abdita & artium,
Ritus, relligiones,
Urbes, tempora, Principes.
Obſcuris veterum lux venit hinc libris
Auctorum pariter ſenſa tegentibus;
Qva ſi deſtituamur,
Qværentes agimus nihil.
Hinc orbis ſtudium hoc cultior undiqve
Miratur, celebrat, diligit, ampliat,
Magno non ſine plauſu,
Magnis nec ſine fructibus.
Nec vulgaris honos, mercibus ut probis,
Hiſce ænigmatibus conſtitui ſolet:
Regum ſcrinia complent,
Magnatum & loculos beant.

Unde






Unde & judicium & verba *Morellii*,
Qvæ *Biörnerus* (*) habet, dura mihi nimis
Atqve injuſta videntur
Præclarum in ſtudii hoc genus.
Loricas, galeas, ſcutaqve, telaqve
Miramur, veterum relliqvias virum:
Horum ergo mihi nummus
Cur, qvæſo, placeat minus?
Aſt qvocunqve habeant omnia ſe hæc modo,
Hoſpes non tamen his immoror anxius:
Ad Te, frigida tellus,
Converto potius ſtylum;
Tellus, Norrigiæ dicta colonia,
Cui nomen glacies indidit horrida;
Naſcendi mihi matrem
Qvam ſors cuncta dedit regens;
Tellus, divitiis pulchra qvidem Tuis,
Qvanqvam his divitiis rite fruens minus;
Nec tam nota metallo,
Qvam gaudens aliis bonis:

Hinc

(*) Prolegom. in *Hiſtorias Regum ac Pugilum* ed. Stockh. 1737. pag. 10. ubi ita: *Numismata nihil aliud ſunt, præter rudera priſcæ vanitatis, qvæ ſi per omnia intelligerem, nec major nec melior eſſem: Sed ſi inde ſuperbirem, circulus meus amplificaretur in ſphæra ſtultitiæ, cum periculo tituli auricularis Societatis Bileamiticæ.*



Hinc nec nummiparens, dedita nec nimis
Signatis alibi, pervigil, orbibus;
Sed nec ſpernere ſveta
Lætas, triſtis, imagines.
Unde a principio facta coloniæ
Nummorum hiſtoriis mentio non ſemel;
Qvamvis perdidit ætas
Horum notitiam & typos.
Rerum tempus edax omnia devorat,
Aufert, atqve refert qvidlibet, ut libet;
Secum certat & ipſo,
Mutat, reſtituit, rapit.
Hic qvid præſtiterit cura ſagax virum, aut
Qvid ſors obtulerit læta benignior,
Ignorare licebit
Terrarum ultimo in angulo.
Hoc tantum volui dicere, non nihil
Islandos etiam heic utile promere:
Qvid ſint *Ortug* & *Eyrir*,
Paulus (*) Nomophylax docet.
Qvid ſit *Marca* (**) docet: qvæ ſe habeat licet
Qvamvis paullo aliter, pertinet huc tamen;
Qvippe hæc, nulla moneta,
Öras (***) bis qvatuor valet.

Argenti

(*) *Vidalinus.*
(**) Isl. *Mörk.*
(***) i. e. Octo amplectitur uncias.



Argenti pariter CENTURIAM explicat
Bernhardus (*) *Vidalini* egregius gener:
Qvo *Kriſtni-Saga* docto
Nunc ſplendet meletemate.
Vobis, O! cineres pulchra docentium,
Communi & Patriæ, gratulor intime,
Fructum ferre laboris
Qvod tandem egregii datur.
Noſtri hæc Regis amor, Qvem ſeqvitur cohors
Doctorum & Procerum, Qvos ſeqvitur ſtatim
Felix turba Juventæ,
Sacris Pieridum litans.
Iſti ſed pelago qvid fragilem ratem
Committam ſtolidus, non mihi pervio?
Littus rado; relinqvens
Altum audentibus arduum.
Lætari interea convenit, & ſimul
Exſultare piis ominibus ſenem,
Meſſem proſpicientem
Sementis Veterum uberem.

(*) *Bernh. Haltbori* F. tractus Hunavatnenſis in Bor. Isl. Toparcha nuperrimus & celeberrimus.

Her endazt ódr minn, hvern öngvum dyrt eg ſel,
Veri þeim velkominn, ſem virda gódfúſt þel.
Þeir byggia laund ſem lifa:
Lifi þeir bædi og byggi vel!

